I

n°94.

# Observationes nuper detectæ, Academiæ chirurgicæ, quæ excellit et floret Parisiis, tradendæ.

## Observatio I.

### Quod vesicæ calculus ceræ aut pastæ instar mollis reddi possit.



Compluribus frustra diu satis institutis ex„
„perimentis in emolliendo vesicæ urinariæ
calculo, tandem A° 1743 felix successus
me docuit hujus rei possibilitatem; vidi
enim tunc temporis, et quidem mense junio
ejusdem anni, viduam teneræ constitutionis,
48 annos natam, quam quotidie illa ætate visi„
„taveram, per sedecim circiter annos per vices
sæpe mictu cruento enormique fuerat affecta,
atque doloribus ac tenesmo vesicæ et ani vehementer
ac fere quotidie tunc cruciata, juncto semper
purulento mictu ita ut in urina sedimentum
foetidum purulentum ad pollicis crassitiem, et nunc et
per annos comparuerit; multi Doctores Medici
frustra plurima remedia adhibenda curaverant.
Consideratis igitur cunctis phoenomenis, suspicabar,
calculum tot annos latuisse, omnium malorum
causam; quare catheterem ipse applicui, atque
calculum durum clare satis tetigi. idcirco medicamine„
quod ore sumatur, exhibito, ad hæmorrhagiam compescendam,
hæc quidem substitit, at dolores immanes cum præ„
„dicto tenesmo, qui calculo rudi communes semper
observantur, ut et cum mictu purulento pertinaciter
perstitere; præscripsi itum quotidie opium pro debita

quantitate, cui tandem junxi Corticem Peruvian. ad
hecticam febrem restinguendam, felicissimo cum
eventu. Ast calculus, caussa prima, cum
purulenta Materia remansit, ægrota lithotomiam
penitus recusante, tentavi tum iterum aliud
Medicamen, sicuti in Morbis desperatis agere
consuevi, ubi Methodus ordinaria non juvat,
aut fallit aut Medicos deserit, quod est Sp.
acidus ex nitro et vitriolo elicitus atque Mens-
truo quodam puro parum Mitigatus. qui si acris
calculo vesicæ vel renum aut cystidis bilifera
extra corpus humanum affunditus, illum omnino
totum solvit, et consumit, uti aqua fortis silicem.
Meditabar tum, an nec ille Mitigatus parum, intus
ore assumtus, etiam aliquid efficere valeat. Quid
fit? per multos dies (nescio quot.) illo uti
fœmina jubeo ~~ultimum~~ una cum copioso opio puro,
quod [ultimum] antea quoque diu jam assumserat; hæmorrhagia
non redit, dolores et tenesmus Mitigantur.
Ast subito corripitur ægra dolore enormi, tenesmo,
ischuria, et paucis horis post hac ejicit aliquot
calculi veri fracti partes, aliamque permagnam in
urethra retentam instrumento, Lapillo dicto,
extraho. postea quotidie fere unam vel alteram
calculi partem, magnam, parvam ejicit, duram satis,
rudem, inæqualem, cathetere tum interdum intus
examinavi multaque fragmenta potui distincte
sentire. memoratum Medicamen cum opio quotidie
ægrota adhibuit. interim aliquando ægrotantem
subito conveniens, vidi eam aliquid intra digitos
premere, despicere, torquere, trahere. quæsivi,
quid hoc? illa respondit: extemplo illud cum urina
absque multo dolore in vitrum eminxi, inscia, quid
sit. Ego rei novitatem Miratus, curiosus veritatis
studii, illud quoque despexi, tractavi, agnovi demum
calculi partem, ast mollem, non duram. super
charta alba solis calore tum illud siccavi, quando

siccatum illud, sicuti rotundus calculus verus renalis, ejusdem coloris, apparuit nobis et aliis, neque duritie vel colore vel figura cedebat cæteris partibus duris rejectis. Altero die post et iterum per plures dies eandem mollem materiam lapidosam in frustis, vel pisi mediocris magnitudine, cum urina ejecit, omnibusque suisque duabus filiabus præsentibus persæpe monstravit. interim et tum et post hac rursum fragmenta dura persæpe eminxit, usque dum omnis vesica fragmentis fuerit vacuata.

NB eo tempore, quo cœpit fœmina talem materiem mollem lapidosam in frustis evacuare, oleum olivarum album dulce, tepidum, et tinctura opii mistam, syringæ ope vetrice cies temporis successu, semel iterumque de die, intra vesicam ipse infudi, ea intentione, an frustra dura inde possint emolliri, dolor imminui atque ulcus vesicæ foetidum corrigi aut solidari. Ast ea tentamina frustra expertus sum, nisi quod viderim, dolorem maxim" opere, miraculi instar, subito semper levatum fuisse, quoties eadem fecerim injectionem. hisce vero rite expensis, coactus fui, certo statuere, hancce materiam

I. fuisse neque pus, neque mucum, quia ista siccata nunquam lapide sciunt.

2 neque nucleum calculi fracti, quia hic semper durus invenitur,

3 neque concretionem materiæ sedimenti urinæ, uti matulæ illa adhærens, quæ manu ita palpabilis non est, sed fragilis.

4 neque veris calculum parvum, qui unquam a suo principio primo vel minimo durus perpetim, nec aliter, observatur,

Quare certissimum esse judico, fuisse eam calculi

fragmenta antea dura nunc emollita.
Cur vero cuncta fragmenta non fuerint ita mollita,
me nescire, confiteor, atque Eruditis expiscan„
„du trado. contentus sum, vidisse atque sine
mendacio retulisse calculi duri emollitionem
veram. utrum vero hac Emollitio facta sit per
vim naturæ, an ope remedii prædicti efficaciam,
dijudicare nequeo; si ingenuus profitear, hoc
saltem ut certum refero, quod ante usum hujus
remedii per sedecim annos nullum lapidis
fragmentum neque durum neq; molle ægra
ejecisse unquam constanter mihi confessa. At
quod paulo post usum hujusce remedii fragmenta calculi
cum urina comparuerint rejecta, quædam primum dura,
tum prædicta mollia una cum duris.
Novi quidem, aliquot calculos natura adeo teneros
ac molles esse, ut attactu catheteris in pulpam
arenosam convertantur, uti memini contigisse
bis Lugduni Batavorum, referente 1729 ab
Expertissimo Professore in illa accademia,
Oosterdyk Schacht in Collegio, quod
tunc temporis frequentabam, accidisse, dicebat,
ipsi bis intra breve temporis spatium,
quod die et quidem vesperi ante præstabi„
litam lithotomiam, curiositatis gratia
Cathetere immisso, calculum confregerit, cujus
fragmenta, arenosa quasi, una cum urina
de nocte sine multa molestia ambo rejece„
„rant. altero die lithotomus cum aliis reduces
facti cathetere quærebant calculum, quem
nunquam inveniebant, Medicus Professor
tum aiebat, inspicite urinam, qua perspecta,
obstupescenter respondebant, quid hoc
sedimentum est mera arena, Medicus res„
„pondebat, heri vesperi calculum frangendum
curavi ope remedii omnes tum putabant

interno Medicamine Lapidem fuisse fractum; ast ille ingenuus est Professus, cathetere solo illud ab ipso heri fuisse peractum. Ecce quam facile falli potuissent experti et ex-cercitati Medici, nisi ingenuus Præceptor ~~ciera~~ sincere rem aperuisset;
Exemplum vero præsens de Vidua relatum non certe fuit ejusmodi naturæ, siquidem primum cathetere unum calculum durum deprehendi, quo posthac comminuto, fragmenta primum dura ac deinceps mollia pulposa et dura respecta com-paruerunt.
Credo igitur, qui non facile quicquam credo, quædam calculi comminuti fragmenta in hoc casu revera fuisse emollita, quæ antea extiterant dura, aut per vim naturæ, aut per medicaminis prædicti, acidi nempe ♁, efficaciam. fieri porro posse, neque naturæ repugnare, quod vesicæ calculus ceræ aut massæ mollis instar mollis reddiatque tractari queat; neque permagnum Paracelsum Eruditiss. imposuisse mendacium; ajendo, quod vesicæ durus calculus, ceræ instar, emolliri possit. En. in ejus tumulo extat: qui podagram nodosam, Lepram, quartanam, calculum, etc. Sanavit. Ast dolendum est, tantum Virum tot artes celasse mundumque apocalypsi indignum judicasse. Ecce summum infirmitatis aut invidiæ argumentum. utinam ego jam certum ac infallibile meum hoc medicamen ut lithon-tripticon venditare possem, lubens detegerem. ast quum multiplex hujus experientia adhuc deficit, nondum illud, quid sit, rite manifestare queo. Sin vero ulterius felici successu melius edocear, sicuti non decro, quamvis occasione, id tentare et experiri, nunquam desistam, erudito

atque curioso mundo veritatem aperire, quod multi Eruditi non viderunt unquam, gaudeo, iterum dico, me semel vidisse, calculum, nempe, quoad partes, adeo emollitum fuisse, ut digitis ceræ instar tractari potuerit. ~~[illegible]~~ coronidis loco hoc adjicio, quod excellentius et efficacius opio puro antinephriticu experiri hucusque non potuerim, quod laudibus efferre et ad cælum usque, tanquam cælitus datum, non satis extollere queo, atque miratur animus, tot celebres Medicos et chirurgos illud tam parce in usum vocare, in calculo renum, ureterum, atque vesicæ, et quidem præsertim post institutam lithotomiam, ubi miseri doloribus, vigiliis, inflammatione, febre, macerantur, consumuntur. Quæ cuncta mala nulli, nisi soli opio, quod penes imperitos adeo male audit, facile auscultant, cedunt, eoque subito placantur. Illi subinde jungo spiritum Nitri dulcem, ad propellendum calculum renum, ureterum atque urethræ; neque tum salus externos, neque oleum dulce intus et extus adhibendum omitto.

opium tandem dico, ~~[illegible]~~ experientia multiplici edoctus, si debita eaque sufficienti copia cum judicio post lithotomiam adhibeatur, facile persuaderer, plures, quibus calculi secantur, superstites fore, qui, eo neglecto, nunc misere pereunt quotidie. ast ne nimium dicam, gradus sistere consultius duco.